



**Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romæ, 1863**

De Sanctis Martyribus In Thebaide Passis Sub Diocletiano.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](#)

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

IN THEBAIDE PASSIS SUB DIOCLETIANO.

CIRCITER  
AN. CCCL.  
V JANUARII.

*Horum in sa-  
cris fastis me-  
moria :*

**C**um plurimi sint in Thebaide Ægypti provincia gravissima pro Christi nomine perpessi, quorum non Acta modo, sed et nomina intercidere, omnium simul memoriam consecravit Ecclesia hodie, quo in Martyrologio ista leguntur : In Ægypto commemoratio plurimorum Sanctorum Martyrum, qui in Thebaide sub persecutione Diocletiani diverso tormentorum genere caesi sunt. Horum certamina describere dicitur Eusebius libro de Martyribus, si aliud id est opus ab Ecclesiastica historia. In hac lib. 8, cap. 8, eorum conglobate cruciatus narrat, atque ex eo Baronius tom. 2, an. 302, num. 73, et seq. Nicephorus lib. 7, cap. 8. Ruffinus lib. 8, cap. 8, ita Eusebium interpretans :

*Varia tor-  
menta.*

**2** Apud Ægyptum innumerabiles alii non inferiori gloria tam viri quam feminæ, sed et pueri ac senes, pro fide Domini nostri Iesu Christi presentem vitam parvi pendentes, futurae glorie beatitudinem quæsivere. Quidam ex ipsis post verbera, post vincula, post ungulas, post flagella, aliosque diversi generis horribiles cruciatus, flammis traditi sunt; alii in mare præcipitati; nonnulli etiam capite caesi, ita ut sponte cervices suas securibus darent; nonnulli inedia consumpti; alii patibulis affixi, in quibus quidam more perverso capite deorsum presso, et pedibus in sublimis sublati.

*Præsertim in  
Thebaide.*

**3** Apud Thebaida vero omnem narrationem superat agitata crudelitas. Pro ungulis testas fictiliū vasorum adhibebant tortores, quibus omne corpus eo usque lacerabant, donec totam carnis eraderent cutem. Mulieres quoque nudas, ita ut ne pudenda quidem contigerentur, arte quadem compositis machinis uno pede in excelsum suspensas, et capite in terram demersas, indignissimo spectaculo expositas, pendere per diem continuum sinebant. Alias sicuti vicinæ sibi duas arboreas inveniebantur, vi quadam ab ultraque inflexis contra se invicem ramis, eisque simul singulos pedes Martyris obligantes, subitoram, quos vi inflexerant, relaxabant. Qui cum ad situm suum naturali impetu referrentur, disceptis' disseca-

tisque visceribus, avulsa secum membra rapiebant. Et hoc non paucis aliquibus diebus, aut parvo tempore, sed per annos aliquot, quotidie, quando minimum decem, interdum autem et centum in una die viri vel mulieres, sed et parvuli supradictis pœnarum generibus trucidabantur.

**4** Verum et nos ipsi per idem tempus, cum in Ægypti partibus iter ageremus, oculis nostris inspexi mus, ut sedenti pro tribunalibus sævissimo Praesidi, offerrentur innumeri fidelium populi, quos ille singulos per ordinem confessos se Christianos, capite plecti jubebat. Cumque hi certatim se et sponte gladio subjecerint, confessione præmissa, ille inhumanus et crudelis, nec multitudinis contemplatione, nec virtutis eorum magnanimitate permotus, duci nihilominus omnes et cadi capite jubet. Egrediuntur cuncti pariter ad contignum moenibus campum, non carnificis nexibus tracti, sed fidei vinculis conligati.

Nemo desuit, cum nemo eos servaret: sponte omnes, imo et alter alterum prævenientes, cervices cædenti bus objectabant. Defecerunt carnificum manus, et succedentes sibi invicem fatigati sunt: hebetata est acies gladii. Videbam fessos residere carnifices, vires resumere, animos reparare, mutare gladios; diem quoque ipsum non sufficere ad pœnam. Nullus tamen ex omnibus, ne parvulus quidem infans, deterrei potuit a morte. Sed hoc solum singuli pavescabant, ne forte, dum properum sol vergens clauderet diem, separatus a consortio Martyrum remaneret. Sic confidientia fidei constanter et fortiter cum letitia et exultatione mortem præsentem, velut æternas vitæ principia, rapiebant. Denique dum priores quique jugularentur, reliqui non desidia auctiorum animos indulgebant; sed psallentes, et hymnos Deo canentes, locum quisque sui Martyrii expectabant, ut haec agentes, etiam extremos spiritus in Dei laudibus exhalarent. O vere mirabilis, et omni veneratione dignus grex ille beatorum, turma virorum fortium, corona splendoris gloria Christi!

*Spectavit ista  
Eusebius.*

*Mira alaci-  
tas.*

*Præparatio  
ad marty-  
rium.*

\* Ita editio Jo.  
Schalli, at  
Beati Iren.  
despatisticus.

## DE S. THEOIDO MARTYRE.

V JANUARII.

*S. Theoidum a carnificibus prostratum celebrant Græcorum Menæa. Nihil de eo alibi legi.*

## DE S. DOMNONE MARTYRE BERGOMI.

SUB. MAXI-  
MIANO.  
V JANUARII.  
S. Domno ne-  
pos S. Dom-  
nionis.

**B**ergomi XVI Julii S. Domno colitur. Ejus nepos Domno fuit, idemque avitus heres magnanimitatis et glorie, frater S. Eusebia Virginis et Martyris, quaæ XXIX Octobris celebratur. Hunc v Januarii passum ita celebrat Galentinus: Bergomi S. Domnionis Martyris, qui Maximino Imperatore pro Christi fide cruciatibus affectus, denum constantissime palman Martyrii tulit. Citat Ecclesiæ Bergomensis monumenta. Ferrarius in Generali catalogo Sanctorum: Bergomi in Gallia Cisalpina S. Domnionis Martyris sub Maximiano. Idem in Catalogo San-

ctorum Italix vitæ illius compendium refert, traditque ad ejus ariugre commune sepulchrum Ecclesiam nunc S. Andreæ stare. Domnonis certanem breviter complexus est Joannes Antonius Guarnerius in libro de SS. Bergomensibus, ita scribens :

**2** Domno Domneonii nepos avitos mores et disciplinam imitatus, compositis suis rebus, Eusebiaque sorore herede instituta, in conspicuæ Praesidis, quem Maximianus ad inspicendas res Bergomes miserat, se Christianum esse, præsenti animo professus est: idcirco statim in carcерem conjicitur. Paullo post Ex pruni co-  
40 cum rona.